

63  
DISPUTATIO THEOLOGICA  
Pro VI. Articulo Lib. Concordiæ,

D E  
**TERTIO LEGIS**  
U S U

Q u A M

D E O Opt. Max. Benedicente

P R A E S I D E

**GEORGIO C. ALANO;**

In Regiâ Academiâ Aboënsi S. S. Theologiae  
P R O F E S S O R E Ordinario,

*Publico Examini submittit*

**ERICUS Abrahami Hermainen**  
N Y L A N D U S.

Ad diem Maji, Anni 1652. Horis Matu-  
tinis Consuetis.



A B O E

---

Excudebat Petrus Wald/ Acad. Typog: 1652

*Reverendis, Clarissimis, Prudentissimis ac  
Prestantissimis VIRIS,*

**DN. SVENONI TOR-**  
**CHILLI**, Ecclesiae Lotoënsis  
Pastori dignissimo, ejusdēq;  
Contractus Präposito meri-  
tiss: Fautori colendissimo.

**DN. NICOLAO LIND-**  
**ORMI**, Scholæ Helsingfor-  
sensis Rectori laboriosissi-  
mo, ut Präceptor quondam  
fidelissimo, ita nunc Promo-  
tori certissimo, æternū de-  
venerando.

**DN. M. MATTHIÆD**  
**ROTHOVIO**, ejusdem  
Scholæ Conrectori attentissi-  
mo, itidem Präceptor o-  
lim per quam fideli ætatēm  
honorando.

**DN. FRANCISCO**  
**Szöch Manu** NeoHelsing-  
forsensis Civitatis Consulē  
Prudentissimo, fautori pluri-  
mū suspiciendo.

**DN. M. HAQUINO**  
**J A V E L I N O**, Civitatis  
Wiburgensis Secretario fide-  
lissimo, Präceptor non ita  
pridem omni honoris cultu  
prosequendo, Affini Charis-  
simo.

**DN. OLAO PETRI**  
**Kurtz** Verbi Divini in Ry-  
skoslat Comministro impis-  
gerrimo, Fautori & amico  
certissimo.

Disputationem hanc Theologi-  
cam in debitæ gratitudinis oblidem, memo-  
risq; animi testimonium.

*inscribit & offert*  
**E R I C U S H E R M A N N**  
*Respondeas.*

D. O. M. A.  
**DISPUT. SUPER V. ARTIC:**  
**LIBRI CONCORDIAE**  
DE  
**LEGE ET EVANGELIO**  
**Thesis I.**

**D**uo esse primaria doctrinæ cœlestis capita, quæ omnibus mundi temporibus junctim in Ecclesia sonuere; Legem scilicet & Evangelium, omnibus, qui saltem per transennam studia aspexerunt Theologica, constare nullum est dubium.

**II.** Si enim mente reputemus ea, quæ in Sacra Scriptura habitentur, nihil tam in aprico positum, quam Legis & Evangelij doctrinæ conjunctionem, deprehendemus idq; non solum in Veteri, verum etiam in Novo Testamento.

**III.** Consideremus quæso, concionens primam Evangelicam, post horrendum & tristissimum lapsum, per ipsum filium Dei in paradiſo habitam Gen. 3. v. 15. *Inimicitiam pono inter te & mulierem banc, simili- terq; inter semen tuum & semen hujus; Hoc conte- ret tibi caput, tu autem conteres huic Calcaneum.* Adjungāmus illi reliquas gratiæ conciones, toties de semine benedicto ejusq; beneficijs repetitas promissiones, Sacrificia varia, Christi pro nostris peccatis Sacrificium Expiatorium adumbrantia, Evangelicas numero plurimas conciones inveniemus. Nec Legis vocem rarius audies

audiemus, si cum Mose montem, condescenderimus, & legem inde promulgantem Deum audiremus, immo si Mosis, si prophetarum omnia scripta intueri voluerimus.

IV. Progrediamur porro ad Novi Testamenti tempora, ponderemus conciones Baptistarum, nonne legis doctrinam ille urget, Jubens penitentiam agere Matt. 3 v. 2. Frustrum dignum facere penitentia v. 2. Et indigitas, Securim ad radicem positam esse arborum, ut exscindatur omnis arbor, qua non facit fructum bonum, v. 10. Evangelij vicissim vocem nonne proposuit, ostendendo Christum agnum illum Dei portantem peccata mundi? Joh. 1. v. 29.

V. Conciones Christi si paulo intimius pensarem, quid quæso frequentis, quā nūc concionibus legalib⁹ ad peccatorum agnitionem & detestationem auditores deducere; Nunc svavi Evangelij voce omnes laborantes, peccatorumq⁹ mole oneratos ad se vocare, Matt. 11. 28. Ad nuptias omnes invitare Matt. 22. v. 3. & 9. Omnia parata esse affirmare, Luc. 14. v. 17. Neminem ad se venientem repulsam passum, sed omnes receptum iri affeverare, Joh. 6. v. 37. Sicut Moses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportere filium hominis, ut omnis credens in ipsum non pereat, sed habeat vitam aeternam, Joh. 3. v. 14. 15.

VI. Apostoli præceptoris ac Magistri sui exemplū sequuntur, dum varia præcepta vitae & morum Christianorum ex lege prescribunt, fugam vitiorum indidem svadentes; Nec non ex Evangelio dulces consolationes promentes. Quod facit Paulus inquiens: certus est hic sermo, & dignus modis omnibus, qui recipiatur: Christum Jesum venisse in mundum, ut peccatores servaret, quorum

*quorum primus sum ego; 1. Tim. 15. v. 15. Quid  
quod communi calculo pronunciant Apostoli: *per gra-  
tiam Domini Iesu Christi credimus nos salvari, quemadmodum  
& illi s. o. patres nostri Act. 15. v. 11.**

VII. Etsi autem hoc à mundi Exordio factum, & ad novissimum usq; diem sedulò fieri debeat, tantaq; utriusq; doctrinæ convenientia sit, ut in quotidiana praxi vita verè Christianæ apud fideles mutuas tradant operas, & cvel ideo in Scripturis Propheticis & Apostolicis nomina interdum sortiantur communia, ut videre est Isa. 2. v. 3. Mich. 4, v. 2. De Sion egredietur lex & verbum Domini de Jerusalem. Rom. 8: v. 2. Lex Spiritus vestra in Christo, liberum me reddidit à lege peccati & mortis. interim tamen in doctrina Justificationis & salutis tanto intervallo à se invicem sunt disjungendæ, ut vix majore cœlum à terra, dies à nocte, lux à tenebris, distingvi possit. Et utinam longius etiam utramq; doctrinam distingvere possemus, Luth. in e. 2. Epist. ad Gal.

VIII. Quod si itaq; ulla in parte doctrinæ Cœlestis accurata distinctione opus est, ea profectò vel maximè adhibenda est, quando legē & Evangelium probè discerneret volumus, id potissimum tres, ob causas: *Primum, της σαργειας και εν μαθειας ηρεκα;* Ut distinctione hac observata teneamus artificium rectè secandi sermonem veritatis, 2. Tim. 2. v. 15. Ut verbum secundum sensum verborum genuinum discamus ac doceamus, discernentes rectè iram à gratia & gratiam ab ira. Nam discriminem hoc legis & Evangelij maximam & Clarissimam lucem Sacris literis adfert, ejuscq; adminiculo verbum Dei rectè Secari & prophetica atq; Apostolica Scripta, dextrè explicari atq; intelligi possunt, ut loquitur Lib. Cōcord. p. m. 688.

**IX.** Deinde prodest eadistinctio πρὸς τὴν διδαχὴν.  
Nisi enim doctrina Evangelij à lege accuratis limitibus  
secernatur articulo Iustificatiōis sua nō constabit integras.  
Et quæ alia lux discussit dealissimas tenebras rea-  
gni pontificij, nisi hoc discrimen legis & Evangelij. Me-  
ritum quippe Christi cō conspectius ac illustrius reddi-  
tur, quò longius nostra Iustitia ab operum legis com-  
mixtione separatur.

**X.** Tertio deniq; prodest πρὸς τὴν στρατηγίαν, id  
est, ad consolationem. Nam nisi hoc discrimen recte  
traderetur, conscientijs pertubatis dulcissima consolatio  
quam in Evangelio Christi, sincerè prædicato habent,  
qua etiam se in gravissimis temptationibus contra legis ter-  
rores sustentant, prorsus eriperetur. Hac verò distin-  
ctione observata, perspectum habent pavidæ conscienc-  
iæ, quam ob causam lex lata sit, & quorūm Evangelium  
Christus è sinu patris protulerit, quare & facilius erit Dia-  
boli terroribus occurrere, & in Christo sese erigere.

**XI.** Neq; tamen hæc legis Evangelijq; in articulo  
Iustificationis distinctio, hostilem quandam contrarie-  
tatem & capitalem pugnam infert, nec unius assertio, al-  
terius est destrucción, ita ut Evangelij voce in Ecclesia so-  
nante & locum obtinente, planè silere legem oporteat.  
**Absit enim legem nos per fidem destruere, quam stabilissimam.**  
Rom. 3. v. ult. *Num lex est adversus promissa Dei?* absit,  
ad Gal. 3. v. 21.

**XII.** Ut igitur legis & Evangelij discrimen probè  
observetur contra Iohannem Agricolam Islebium ejusq;  
sestatores legem cū Evangelio confidentes, Liber Cō-  
cordiæ articulo quinto pugnat, quærens: *An Evange-  
lium propriè sit tantummodo concio de gratia Dei, quæ  
remissionem peccatorum nobis annunciet: An verò*

etiam

*etiam sit concio pœnitentiae arguens peccatum incredulitatis, quippe quæ non per legem, sed Evangelium duntur taxat arguatur?*

**XIII.** Antequam autem ad hanc questionem respondamus, Homonymiam subjecti & prædicati videbimus; qua Exposita nostram sententiam S. Scripturæ testimonijs demonstrabimus, discrimina legis & Evangelij annotabimus, & deniq; cætera, quæ in hoc eodem articulo in in F. C. occurrunt, obiter delibabimus.

**XIV.** Vox *euāγγέλιον* tripliciter apud Græcos Scriptores accepta reperitur 1. Pro fausta rei bone, latèq; anno nunciatione. Sjc apud Aristophanem in Equitibus: *euāγγέλια κάγωθρατα.* Et Suida interprete, *euāγγέλιον* significat τὰ κάλια θιαγγέλιον. 2. Pro præmio, quod dari solet lœtum nuncium adferenti. Homer. Odyss. ६. *euāγγέλιον δέ μοι ἐσώ.* In quem locum Eu stathius: *euāγγέλιον δῶρον ἡ πέρι σ' γαθῆς αὐγγελίας.* Cicero Lib. 2. Epist. ad Attic. Epist. 12: *ō svaves Epistles tuas, uno tempore mihi datas duas!* Quibus *euāγγέλια*, quæ reddam nescio, deberi quidem planè fateor. 3. pro sacrificiis & supplicationibus, quæ decernebantur pro nuncio rei bene gestæ. Et sic apud Isoct. & Plutarch: in phocione *euāγγέλια* Σένε, hoc est Sacrificia Deo offerre in testimonium gratitudinis pro accepto felici & fausto nütio. Prima & secunda significatio occurunt etiam in sacris literis, Prima invenitur Esa. 52, v. 7. c. 61. 1. Secunda extat apud 70. Interpretes 2. Sam. 4, v. 10, *ἀπέκτεινα ἀυτόν, ὃ εδει με δύναι euāγγέλια,* occidi eum, cui me oportebat dare præmia.

**XV.** Præter has autem duas in primis, notatu dignas Evangelij significaciones, Sacrae Literæ suppeditantur.

Accio

**A**ccepitur enim 1. Generaliter & quasi ~~clavis~~ pro tuto libro & volume vitæ actionum & concionum Christi, quo sensu Evangelium secundum Matthæum, Marcum, Lucam & Iohannem nuncupatur. Et hoc sensu utrumque conjunctim denotat tum legis interpretationem, tum gratiæ divinæ annunciationem. Imò in generali etiam significacione sumitur haud raro pro tota doctrina Novi Testamenti divinis literis patefacta, quæ non solum Evangelium, sed & legem complectitur.

**XVI.** Sic Marcus in suæ Historiæ frontispicio usurpat dicens v. 1. *Evangelium Iesu Christi filij Dei.* Et v. 14. *venit Jesus in Galilæam prædicans Evangelium regni Dei,* Cujus postmodum partes v. 15. recenset duas, *Resipiscite & credite Evangelio:* Eodem modo Salvator discipulis Marc. 16. 15. præcipiens ut prædicarent Evangelium in universo orbe terrarum: id ipsum apud Lucam per species vicissim explicat c. 24. v. 46, 47. quando dicit: *Sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertio die;* *Et prædicari in nomine ipsius pœnitentiam & remissionem peccatorum.* Hinc D. Apostolus Ecclesiæ Ephesinæ antistitibus obtestatur, se nihil doctrinæ coelestis occultasse aut omisisse: Et ibidem summam statim universæ suæ doctrinæ ad duo capita refert: *Ad pœnitentiam nimis erga Deum, & fidem in Christum* Act. 20. v. 21. Id quod una voce contentus exprimit v. 24. Inquiens: *Suum ministerium esse ad testificandum Evangelium gratiæ Dei.* Item 1. cor. 9; 14. ait: *Qui Evangelium annuntiant ex Evangelio vivant.*

**XVII.** Quæ locutiones sunt Synechdochicæ, cum à potio.

à potiori Ita videlicet divisa gratia annunciatione, fiat denominatio. Quod si igitur laxiore hoc significatu Evangelii concessionem pœnitentiae quis dicere velit, sicut non repugnamus. Quo pacto Luth. Disp. 30. Contra Antinomos ait: Christus pasim per Evangelium arguit, increpat, minatur, terret, & similia legis officia exerceat: Hoe sensu etiam inquit Formula Concordiae: *Credimus, docemus, & confitemur, recte dici & doceri, Evangelium esse concessionem de pœnitentia & remissione peccatorum.* Epitom. p. m. 576.

XVIII. Deinde sumitur vox hæc ἵνα γέλιον εἴδεις κώδ και κατέ μέρος, propriè & specialissimè, prout legi ἀντίθημέν oppositur; Et hoc respectu tantum denotat concessionem gratiæ, plenam consolationis, & considerat promissionem de gratuita peccatorum remissione propter Christum fide apprehensum. Quo pacto Evangelium non magis posse dici concessionem pœnitentiae, quam cœlum terram, & terram cœlum cum Beato Luthero affirmamus.

XIX. Unde denominatur Evangelium pacis ab effectu, Esa. 52. 7. *Quam decentes sunt super istos montes pedes Evangelizantis, pronunciantis pacem, Evangelizantis bonum, pronunciantis salutē.* ad Eph. 2. v. 17. *Christus veniens Evangelizavit vobis pacem.* Vocatut etiam *Evangelium salutis nostræ,* Eph. 1, v. 13: *Potentia Dei ad salutem,* Rom. 1, v. 16. *Evangelium gratiæ Dei,* Act. 20, 24. *Evangelium gloriae beati Dei,* 1. Tim. 1. v. 11. *Evangelium regni Dei,* Mar. 1. v. 14. Vocat enim nos ad regnum gratiæ, exhibet bona ejus regni; & transfert in regnum gloriæ. Evan

gelium gaudij magni L. 2. v. 10. Ecce Evangelio vero  
bius gaudium magnum, quod futurum est omni populo.

XX. Hinc igitur non minus doctè, quam rectè Liber Concordiae Autinomicum istud repudiatur. *Evangelium propria ac stricta significatione dici concionem pœnitentiae*, idq; facit his verbis: Quando Lex & Evangelion, sicut & ipse Moses, ut doctor legis, & Christus ut doctor Evangelij inter se conferuntur: Credimus docemus & confitemur, quod Evangelion non sit concio pœnitentiae, arguens peccata: Sed quod propriè nihil aliud sit, quam lœtissimus quidam nuncius, & concio plena consolationis, non arguens, aut terrens: quandoq; quidem conscientias contra terrores legis solatur, easq; in meritum solius Christi respicere Jubet, & dulcissima prædicatione, de gratia & favore Dei per meritum Christi impetrato rurius erigit.

XXI. Deinde in vocabulo *pœnitentia* etiam latet ἄμορφια. Interdum enim sumitur μετάνοë proprii parte conversionis, quæ est vera peccatorum agnitus & serius dolor de malefactis. Ubi notanda Regula: *Quando pœnitentia adjungitur fides vel remissio peccatorum, tum accipitur pro sola contritione.* Sic Marc. 1, v. 15, dicitur: *pœnitentiam agite & credite Evangelio.* Act. 20. 21. Hebr. 6. v. 1. Et Luc. 24, v. 47. *Oportet prædicari in nomine Christi pœnitentiam & remissionem peccatorum.*

XXII. Interdum vero hæc vox accipitur ὀλεῖα, pro tota hominis ad Deum conversione, & tum inclusa habet fidem; Ethoc sensu dicitur: *Gaudium erit super uno peccatore pœnitentiam agente,* Luc. 15, v. 10.

item:

Item? Pœnitentiam agite; appropinquat enim regnum cœlorum, Matt. 3, v. 2. Facite fructus dignos pœnitentia, Luc. 3, v. 8. Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis, c. 13. v. 3. Quo etiam spebat Regula Theologica: Quando pœnitentia tribuitur remissio peccatorum, gratia Dei, Salus ē vita æterna; totum conversionis opus fidem simul includens, intelligitur. Ut Marc. 1, v. 4, 2. cor. 7, v. 10. Act. II, v. 18.

XXIII. Usu posteriori si accipitur, pro tota hominis, ad Deum conversione, tum neq; ad solam Legem, neq; ad solum Evangelium, sed & ad legem, & ad Evangelium simul refertur. Usu verò priori, pro peccatorum agnitione & contritione acceptam pœnitentiam dicimus esse, non Evangelij, sed legis concionem.

XXIV. Præmissa harum vocum ὀμονύμων explicatione: facile videre est, & quid propriè nomine Legis, & quid propriè nomine Evangelij, prout legi contradistinguitur & opponitur, intelligi debeat, & quæ propria sit utriusq; natura.

XXV. Est igitur Lex, ut definit Formula Concordia, propriè doctrina divinitus revelata, quæ docet, quid iustum, Deoq; gratum sit; quæ etiam quicquid peccatum est, & voluntati divinae adversatur, redarguit. Proprium igitur legis officium est ostendere, accusare & damnare peccatum. Quare, quicquid extat in Sacris Literis, quod peccata arguit, iram Dei ē pœnas denunciat, conscientias terret, ad legem pertinet, Juxta Regulam à beato Luthero passim traditam. Et quia incredulitas est non modo peccatum gravissimum, verum etiam

radix & fons omniū peccatorum, quæ arguenda & res  
prehendenda sunt, Lex D E I etiam incredulitatem  
arguit.

**XXVI.** Evangelium vero propriè est doctrina, quæ  
docet, quid homo credere debeat, qui Legi Dei non fa-  
tisfecit, & idcirco per eandem reus æternæ damnationis  
prontuneiatur. Docet, quod miserimus i le peccator,  
ut addit declaratio, qui iræ Dei, morti, omnibus tem-  
poralibus ætrumnis & æterno gehennæ incendio obna-  
xius est, ut remissionem pecatorum apud Deum obtine-  
at, C R E D E R E debeat, filium Dei, Dominum no-  
strum Jesum Christum in sese suscepisse maledictionem  
Legis ferendam, omnia nostra peccata plenisima satis-  
factione expiassè: Ita quidem, ut per ipsum solum cum  
Deo reconciliemur remissionem peccatorum per fidem  
consequamur, à morte omnibusq; alijs peccati supplicijs  
liberemur, & in æternum Salvemur. *Quicquid*  
*enim pavidas mentes consolatur, quicquid favorem &*  
*gratiam Dei transgressoribus legis offert, hoc pro-*  
*priè est & dicitur Evangelium/ hoc est, lètissimus*  
*nuncius, quod Dominus Deus peccata nostra nolit puni-  
re, sed propter Christum condonare ) Sive id fiat in Vte-  
ri, sive in Novo Testamento.*

**XXVII.** Hanc orthodoxam propositæ questionis  
affirmativam probaturi, sequentia producimus argumé-  
ta. 1. *Ab Etymologia nominis Evangelij:* Quod-  
cunq; est lèta ac hilaris annuntiatio, id non potest esse  
concio iræ & pænitentia sive legis. Atqui Evangelium  
est lèta ac hilaris annuntiatio. Ergo,

**XXVIII.** Minorem probamus. ἐναγγέλιον enim nihil aliud significat, quam bonum & latum nuncium, ab εὐ & ἀγγελίᾳ. Nam ἐναγγελίων est lēta & bona annūciatio. Prophetæ enim quando varieinantur de prædicione gratia, utuntur peculiari verbo Bisser, quod 70. Interpretes recidicerunt ἐναγγελίαι. Significat in genere carnea mollia & lēta annūciare, vel carni lēta annūciare, ut ita conditio hujus doctrinæ indicetur, quod bona sua ultrō omnibus offerat, ac lētissimo nuncio eos exhilaret; Simulq; auditorum sors exprimatur, quod sint caro & multis infirmitatibus obnoxij, ut proinde hanc salutem divinitus oblatam neutri quam negligere debeant. Et Chennitio teste part. 2. Loc. Com. p. m. 219. Non usurpatur verbum illud Bisser apud Hebræos, nec ἐναγγελίαι apud Græcos pro cuiusvis rei bona & lētæ annūciatione; sed plerumq; cum hostes, à quibus magnum & anceps discrimen imminebat, fugati profligatiq; nunciabantur. Illa nūciatio Liberationis ab hostiis, restituæ pacis & tranquilitatis, quæ afferebatur anxiæ expectantibus, hoc ipso vocabulo designabatur. E. g. ubi David anxius & sollicitus expectabat nuntium de eventu pugnæ cum seditione exercitu. Absolōis. veit Cusi, & dixit: ἐναγγελίσῃ ωδη κρίσις μεθάπτωσε, & hilaretur bono nuncio Dominus meus rex 2. Sam 18, 31. Item Nah. 1. v. ult. ubi nunciatur urbem obsidione Assyriorum solutam. Et 4: Reg. 7. v. 9, Cum obsidjo Samariae ex imperato soluta nunciatur.. Sic in Evangelio, lētissima est hæc annūciatio quod antiquum prælium sit dissolutum, fortis armat⁹ vietus, spolia erepta, &c. Captivis nunciatur liberatio, lugentibus consolatio, Esai. 61, v. 1.

**XXIX.** Secundum Argumentum à Synonymis  
C 3 mutua-

*mutuamur. Siquidem passim ejusmodi encomia illustria  
Evangelio tribuuntur, quæ dolorem & contritionem pla-  
nè removent & sequestrant. Hinc argumentamur.  
cuicunq; encomia talia tribuuntur, quæ dolorē & contri-  
tionem plane removent, illud non potest dici concio do-  
loris & pænitentiæ. Atqui Evangelio tribuuntur  
talia E.*

**XXX.** Majori nemo contradicit. Minorem pro-  
bamus. Dicitur enim *odor vita ad vitam*, 2, cor. 2, 16.  
*Evangelium pacis*, Eph, 6, 15, *Fons aquæ, salientis  
in vitam aeternam*, Joh. 4, v. 14. *Galea Salutis*,  
Eph. 6, v. 17. *verba Evangelij dicuntur verba vita  
aeterna* Job, 6, v. 68.

**XXXI.** *Tertium, A proprio Evangelij usu.* Quod  
fuit proprium officium Evangelij jam inde à lapsu primo-  
rum parentum in ipso paradiſo, idem certè officium hos-  
die erit. Cum idem etiam nunc habeamus Evangelium.  
Atqui tum proprium officium fuit consolari, erigere,  
confirmare hominis fidem aduersus terrores peccati, le-  
gis, inferni, E.

**XXXII.** *Minorem confirmo. Ex Declar.*  
Concord. p. m. 694. Qua rectè ostenditur Patriarchas,  
eorumq; posteros, quoties tristissimi lapsus mentem sus-  
bibat memoria, se erexisse & consolatos esse dulcissimis  
illis concionibus de temine mulieris contrituro caput  
serpentis. Item de Abraham isemine, in quo benedicen-  
dæ erant omnes gentes: Et de filio Davidis, qui regnum  
Israelis restaurare debebat, & Lumen gentium futurus  
erat; *qui vulneratus est propter iniquitates nostras,*  
*& attritus propter scelerâ nostrâ, cujus livore sanati*  
*sumus*

*sumus.* Quare quoniam illud semper ipsis præstiterē E-  
vangelicæ conciones, colligo perpetuum id ejus esse of-  
ficiū, nisi quis eadē manente re, eam officium sibi  
proprium deponere, absurdē statuere velit.

*XXXIII.* *Quartum A Vaticinio Esaiae.* Quæ-  
cunq; doctrīna de Christo loquitur, dec̄; primario ejus  
fine, ob quem in mundum venerit, illa est lēta & con-  
solatoria, non autē concio iræ vel pœnitentiæ. Atqui  
Evangelium est propriè doctrīna de Christo, & fine ob  
quem in mundum venit Primario. Hinc enim voca-  
tur prædicatio Iesu Christi, Rom. 16, v. 25.

*XXXIV.* *Ratio Connexionis* patet, quia finis  
primarius, ob quem Christus in mundum fuit missus, ita  
deseribitur ab Esaia c. 61, 1. Quod venerit ad  
*Sanandum & liberandum, quod missus sit, ut Evan-*  
*gelizet pauperibus, medeatur contritis corde, prædi-*  
*cet captivis dimissionem, & annum Domini acceptū*  
*Luc. 4, v. 18, 19.*

*XXXV.* *Quintum A promissione.* Quod-  
cunq; ante per Prophetas promissum est, non est lex, &  
proinde nec concio iræ seu pœnitentiæ, quæ ex lege ori-  
tur. Atqui Evangelium est id, quod promissum fuit an-  
to per Prophetas. Ergo-

*XXXVI.* Major est planissima. Lex enim non  
est promissa per Prophetas, sed uti per manus Mosis tra-  
dita, ita postea sāpe repetita & populo declarata fuit.  
Minoris verò approbator est ipse Paulus in initio statim  
Epistolæ ad Romanos, ubi dicit segregatum se esse in *Evan-*  
*gelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos*  
*in Scripturis Sanctis.*

**XXXVII.** VI. *A concione Evangelica prima Novi Testamenti.* Quicquid est gaudij magni annuntiatio, illud non est concio iræ seu pœnitentia. Atqui Evangelium est gaudij magni annuntiatio. Ergo non est concio iræ sive pœnitentia.

**XXXVIII.** Major Manifesta. Duo n. immediate contrarij effectus non nisi per inauditam absurditatem, & manifestam contradictionem uni eidemq; doctrinæ assignari possunt. Minorem haud imbecilliores Judicamus, siquidem ab ipsius Dei legato, Luc. 2. v. 10. est pronunciata: *Ecce annuncio vobis gaudium magnum, quod futurum est omni populo.*

**XXXIX.** VIIIm. *Ab Avertissemento Apostolico.* Opposita, quatenus opposita, non sunt unum & idem. Atqui Lex & Evangelium in doctrina Justificationis & negotio salutis sunt opposita. Ergo.

**XL.** Major verissima. Oppofita enim, quæ talia, se invicem removent & tollunt. Idem autem se ipsum, non destruit aut tollit. Minor vicissim Paulis, 2. cor. 3. 7. Ubi legem & Evangelium conferens; Legē definit per ministerium mortis & condemnationis; Evangelium vero per ministerium Spiritus, Justitiae, vitæ & salutis. Hinc etiam versu 6. generali istum infert Aphorismum: Litera, id est, Lex occidit; Spiritus autem vivifical.

**XLI.** VIIIIm. Quicquid prijs mentibus veram admittit consolationem, illud est reiiciendum. Doctrina Antinomica id facit. E. Minor patet. Papistica enim & legalis carnificina ista opinione reducitur in Ecclesiam, qua omnis consolatio eripitur laborantibus imbecillitate.

te fidei, dum eis Christus telis ostenditur, qui non est ad-  
vocatus apud patrem, sed qui venerit judicare, severiusq;  
cum illis agere, quam ipse Moës unquam potuit. Que  
certè confusio, meritum & beneficia Christi valde obscu-  
rat, Libertatem Evangelij in servitium legalem trans-  
format, veram Consolationem pijs eripit, quam ex Evan-  
gelio contra terrores legis haurire debebant.

**XLII.**      IX. in *A testimonio veterum* 1. Ambrosij in-  
quientis: *Evangelium natura sua non damnat, sed eos qui non*  
*credunt relinquit sub lege, illa vero est, quæ damnat & occidit.*  
*Nam sub pena exitij precipit, ut Christo credamus.* Itaq;  
qui non credunt, legis damnatione pereunt. *Evangelij vero non*  
*est nisi servare.* 2. *Cassiodori in Cant. Cantic.* In lege nulla  
reservatur penitentia, sed precipitur, ut qui peccat occidatur.  
*Evangelium autem dicit; nolo mortem.* 3. Cyrilli Alexan-  
drini Lib. 1. c. 21. in Joh. *Lex dabit spiritum servitutis in*  
*formidinem; Christus spiritum adoptionis in libertatem.*

**XLIII.**      Xm. *Apologia* quoq; C.A. planè nobiscum  
sentit. Verba hæc sunt: *Ad salutarem & veram pœnitentiam non sufficit legis prædicatio: Sed accedere oportet Evangelium.* Hoc modo duo hæc doctrinarum  
genera conjuncta sunt, & ambo urgenda, certo tamen  
ordine & convenienti discrimine observato, & Justè  
damnantur Antinomi, adversarij Legis, qui prædicatio-  
nem legis ex ecclesia explodunt, & affirmant non ex le-  
ge, sed ex solo Evangelio peccata arguenda. *Idem artic.*  
*Smaleldici docent:* Novum Testamentum retinet atq;  
urget ministerium legis: Quæ & peccata arguit, & iram  
Dei revelat; Sed ad illud legis officium adjungit mox pro-  
missionem gratiæ divinæ per Evangelij prædicationem.  
Declarat. Lib. Concord, p. m. 692.

**XLIV.**      Ex hisce hactenus allatis argumentis mani-

festum evadet; Evangelium in propriae genuina significatione, non posse dici concessionem poenitentiae sive legis, idquod probandum fuit.

**XLV.** Hinc ulterius pergimus ad discriminem legis & Evangelij ostendendum, de quo prius observanda erunt Beati Lutheri verba in cap. 2. Gal: Tom. 5, lat. fol. 39.  
*Qui bene novit discernere legem ab Evangelio, us gratias agat Deo; et sciat se esse Theologum. Ego certe in tentatione non dum novi, ut deberem. Tam diligenter distinxas justitiam Evangelij à justitia legis, quam diligenter distinxit Deus cælū à terra, lumen à tenebris, diem à nocte, atq; utinam eas adhuc longius discernere possemus.*

**XLVI.** Differunt autem lex & Evangelium i. Modo patefactionis. Lex naturaliter quodammodo homini nota est; utpote hominum mentibus in prima creatione impressa, neq; per Lapsum prouersus extincta, Rom. 2. v. 14, 15. *Gentes natura, qua legis sunt faciunt, et ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis: Evangelium vero est mysterium humanæ rationi planè absconditum, sed per filium ē sinu patris nobis in peccatum prolapsis revelatum,* Joh. 1. v. 18. Rō. 16, v. 25. ad coll. 1. v. 26. i. cor. 2, v. 7. Mat. 16, 17.

**XLVII.** II. Materia seu argumento. Lex est doctrina operum, praescribens & monstrans quales nos esse, quid facere, quidve omittere debemus, Deut. 6. v. 5. Gal. 3. 15. Ostendens quoq; quæ sint bona opera, in quibus Deus vult renatos exercere obedientiam; Evangelium vero est doctrina fidei proponens Christum mediatorem, ac per ipsum gratia Dei remissionem peccatorum & vitam æternam promittens, Joh. 3. 16. *Sic Deus dilexit mundum &c. Docet item quomodo præstari possint, bona opera Deo grata ab illis, qui fide propter Christum justi sunt. Breviter: Lex jubet; Evangelium juvat & imperat, quod lex imperat.*

**XLV.**

**XLVIII.** III. *Forma promissionum.* Lex promittit salutem & vitam æternam sub conditione præstandæ perfectæ obedientiæ, Levit. 18, v. 5, Rom. 10, v. 5, Luc. 10, v. 28, Rom. 2, v. 13; Promissiones verò Evangelij sūt gratuitæ, non respectu Christi, cui carè constiterunt beneficia in Evangelio oblata, 1. cor. 6, 20, Sed respectu nostri, donum Dei est vita æterna, Rom. 6, v. 23. Promittit enim Evangelium salutem & vitam æternam gratis propter Christum, per fidem, Mar. 16, v. 16, Rom. 10, v. 9. Quæ tameu fides non est conditio meritoria, dignitatis alicuius, aut operis, sed duntaxat modus, medium & instrumentum est applicationis, per quod, non propter quod, nobis salus ex Evangelio obtingit.

**XLIX.** III. *Officio & effectus.* Versatur quidem utraq; doctrina circa unum & idem objectum, peccatum sz; verum diverso modo. Lex enim, ut loquitur eleganter Lutherus, ostendit, accusat, imputat, dominat peccatum: Evangelium verò remittit, tegit, non imputat peccatum, quia ostendit agnum Dei, tollentem peccata mundi, Joh. 1: v. 29. Itē Lex accusat, terret, dominat peccatores, transgressoribus iram denunciat ac poenas minatur temporales & æternas, Rom. 3, v. 20, 2. cor. 3, v. 6, Rom. 4, v. 15, Deut 27, v. ult. c. 28, v. 15, & seq. Evangelium verò peccatorum fordes abluit & tollit, Esa. 1, v. 18, 1. Ioh. 1, 7, corde contritos & sub onere peccati fatiscentes & gementes reficit, Matt. 11, v. 28, perterritos solatur & lætitiam reddit, Psal. 31, v. 14, per Christum gratiam promittit. Ad Evangelizandum afflitis misit me, ut medelam contritis corde afferrem, Esa. 61, 1, Luc. 4, v. 18. Et tandem credenti confert vitam æternam atq; salutem; Ioh. 3, 16, Rom. 1, L.

V. Differunt applicatione ad diversa objecta, seu diversa hominum genera. Lex proponenda est securis ho-

minibus, præfractis peccatoribus, hypocritis, item veteri homini, quatenus ille in renatis subinde reluctatur spiritui. 1. Tim. i. v. 9. Lex premens, maledicens, accusans, damnans & terrens incumbit sceleratis, inobsequentibus, impious & peccatoribus, irreverentibus & profanis &c. Evangelium vero proponendum est conscientijs pavidis, contritis, confactis, consternatis, captivis, & novum hominem sub gratia retinet, Matt. ii. 5, 28. Luc. 4. v. 18.

L.I. VI: Tandem differunt solenni promulgatione. Promulgata enim est Lex ministerio Mosis inter tonitrua & fulgura, & voces & lampades, ejusque certitudo stupendis ac terribilibus miraculis confirmata est: Evangelium per filium Dei prolatum, & miraculis quidem haud inferioribus, sed tamen gratiosis & salutiferis stabilitum sicut Scriptum est: *Lex per Moysen data est, gratia autem & veritas per Iesum Christum exorta.* Ioh. i. v. 17.

L.II. Tradito sic legis & Evangelij discrimine, ad decisionem ejus, cuius in status formatione meminit Liber Concordiae, questionis descendimus: *Quo videlicet etiā Evangelium versetur circa peccatum incredulitatis, & quomodo lex illud arguat?*

L.III. Respondemus incredulitatem duobus considerari posse modis, vel *Ratione sui generis*, vel *ratione certi sui objecti*. Priori modo considerata non nisi ad legem referri potest & debet: Siquidem ratione generis est peccatum, & sic à reliquis peccatis nihil prorsus differt: Et per consequens & que àlege ac reliqua peccata, arguitur & damnatur. Posteriori modo considerata incredulitas, vel objecti loco, juxta tenorem primi præcepti, respiecit Deum tanquam legislatorem: Vel juxta Evangelium objecti loco intuetur Christum, quatenus ille est mediator & redemptor generis humani. Posterior hic respectus non

non mutat ipsum genus incredulitatis: Sed tantum ob-  
jectum variat. Incredulitas Ergo semper legi subja-  
cet, impingit in primum praeceptum, quamvis in Christum directe feratur. Nam praeceptum hoc in genere  
jubet credere & confidere Deo, sive ut creator, sive ut le-  
gislator, sive ut redeemptor consideretur, & sic in genere  
etiam damañat & arguit omnem incredulitatem.

**L.IV.** Proinde accuratissime distingvendum est in-  
ter objectum incredulitatis & inter incredulitatem in se & ratio-  
ne sui consideratam. Objectum offert Evangelium, sed  
lex peccatum incredulitatis monstratum arguit, damnat.  
Unde ipse salvator Ioh 5, v. 45. ex professo de peccato  
incredulitatis verba faciens ait: *Nolite putare, quod ego ac-  
cusabimini sim vos apud patrem: Est qui vos accusat, Moses, in  
quo speratus.*

**L.V.** Distingvendum quoq; hic est inter incredulita-  
tis manifestacionem & ejusdem accusationem: Lex jubet  
credere omni Dei verbo; Evangelium revelat absconditam  
illam Dei sapientiam, quod Christus in ara crucis pro no-  
bis mortuus, sit nostra coram Deo justitia. Hinc lex E-  
vangelij luce collustrata concludit: Ergo huic Dei ver-  
bo credas. Lex arguit omnia peccata, & sic etiam in-  
credulitatem: Evangelium in Antithesi sua ostendit, hoc  
esse peccatum, & quidem maximum omnium peccatorum,  
non credere in Christum mediatorem: Concludit Lex:  
Ergo propter illud peccatum manes sub ira Dei & dam-  
naberis Atq; sic Lex & Evangelium in praxi sunt quovis Ma-  
thematio puncto conjunctiora, ut scribit Luth. in comment.  
e. 2. ad Gal. Semper tamen proprium legis officium ma-  
net, peccatum arguere, iram operari & damnare; proprium  
Evangelij officium, consolari, erigere, salvare.

**LVI.** Idem de Historia passionis Christi Iudicamus.

Nam ea consideratur vel ratione saluberrimi meriti, & effectus, qui consistit in redemptione generis humani. Quo respectu ad solum Evangelium pertinet: Vel respectu ire & severitatis divinae, quippe quæ tanta fuit, ut non nisi morte filii Dei placari potuerit. Atq; sic Christi mors & passio, quæ mundi iram Dei nobis ob oculos ponunt, tamdiu non sunt propriè concio Evangelica, sed legis & Mosis doctrina terroris plena. Unde manifestum est, Spiritus Sancti officium esse, non tantum consolari; Verum etiam ministerio legis, arguere mundum de peccato, & ita etiam in Novo Testamento facere opus quasi alienum, ut propheta loquitur, quod est arguere, ut faciat opus proprium, quod est consolari & gratiam Dei prædicare.

**LVII.** Fallunt itaq; & falluntur Antinomi opinantes Historiam passionis & mortis Christi; simpliciter ad Evangelium & nullo respectu ad legem referendam esse.

**LVIII.** Deniq; ex paragrapho 7. Form. Concord. Et illam quæstionem expediemus: *Quare lex in Novo testamento explicetur?* Ad quam Respondemus primò. Quia cum Christus genuinus ac verus sit author & lator legis, nemo eam rectius interpretari potuit, quam ipse author & legislator summus, qui futurus est judex vivorum & mortuorum. Et hanc ob causam Christus ut Rex ac judex sibi tabulas judiciarias explicandas sumpsit, ut eò magis subditorum saluti consuleret.

**LIX.** 2. Cum Evangelij dignitas nunquam magis eluceat, quam ubi legis doctrina ei ad latus opponitur; si quidem contraria juxta se posita magis elucescunt, Deus etiæ voluit legem simul in Novo Testamento cum Evangelio proponi.

**LX.** 3. Id negotijs imponit ministris N. T. t. Spiritus

esus Sanctus, ut peccatores ad Christum adducant per legis concionem. Nam cum mali audiunt legem, adducuntur ad suorum peccatorum agnitionem, incipiunt de poenitentia cogitare, confitentur se propter scelera reos esse æternæ damnationis. Neq; enim Spiritus Sanctus per ministerium N. T. tibi solummodo consolator est, sed etiam arguit, convincit, damnat mundum, Joh. 16, 8.

LXI. 4. Cum nuda illa legis prædicatio sine mentione Christi, aut ad hypocrysin pharisaicam, qua sibi imaginantur homines, quod legem externis suis operibus implere valeant, uti manifestum, Luc. r8, v. 11. Aut ad desperationem Cainiticam adigat. Ut igitur huic morbo medicinam faceret, legem in manus suas sumpsit Christus, eamque Spiritualiter explicavit, & sic iram Dei de cœlo revelavit super omnem impietatem hominum, ostendens quanta sit ira divina, & quanta peccatorum arrocas in conspectu Dei. Hac enim ratione peccatores ad legem remissi, verè & rectè sua peccata agnoscunt: Qualem sanguinem peccatorum agnitionem solus Moses extorquere nō potuit. Quia ( teste Apostolo 2. cor. 3. v. 15 ) *Et si Moses prælegebatur, mansit nihilominus et clamens super faciem ejus non recedunt, ut non agnoscere possint homines, legem esse spiritualem & exigere res longe maximas, quas cum præstare & implere nequeant, legem eos horribili & externa maledictione obruere.* Quando autem ad Christum convertuntur, tum velamen illud tollitur, ut peccator ex lege peccata sua agnoscat; neq; tamen desperet, bona quidem opera præstet, non tamen illis temere confidat, aut ideo inaniter superbiat.

LXII. 5. Ut ostenderet, Mosen sub integumento ceremoniarum & sacrificiorum, Christum etiam monstrasse, etiam si obliquè & obscure. Faciem enim Mo-

Si oportuit esse velatam usq; ad Christum, qui velamen  
illi detraxit, 2. cor. 3, 14. Et lex habet umbram futurorum  
bonorum, inquit Apostolus, coll. 2, 17. Heb. 10, 1.

LXIII. 6. to Tandem etiam propter bonos, ut sci-  
rent, in quibus Deus vellet, ut se exercent. Non n.  
vult Deus nostro consilio excogitari opera aut cattus:  
Sed vult nos verbo suo regi, sicut scriptum est. *Frustra*  
*me colunt mandatis hominum:* Matt. 15, v. 6.

LXIV. Negatiyam Form. Concord. hoc unico A-  
nathe natismo petraet. *Reijcimus ut falsum & pernitio-*  
*sum dogma, cum asseritur, quod Evangelium propriè sit concio*  
*pénitentia, arguens, accusans & damnans peccata, quodq; non*  
*sit tantummodo concio de gratia Dei.*

LXV. Hære<sup>s</sup> eos hujus pestilentis author nostra té-  
pestate primus fuit Johannes Agricola Ludimoderator  
Islebiensis, qui Anno Christi 1538. Teste Luth. Tom. I.  
Ienensi Lat. docuit; pénitentiam docendam esse non ex De-  
calogo, aut ulla lege Mosis; sed ex Evangelio: Crudeles præstigias  
& depravationes esse, quando dicitur; *Evangelium propriè signi-*  
*ficare letum nuntium, & legem tantum peccata ostendere &c.*  
Hunc sequuntur ex Calvinianis Casparus Cruciger junior,  
Hemmingius & Pezelius, ex pontificijs Bellarminus  
& alij.

Pedem itaq; hic figimus, tribuentes gloriam, honorem & benedictionem Deo  
glorioso viventi in secula seculorum, Apoc. 5, v. 9.

---

**S**unt Sacra scita Dei, sunt dogmata vera Salutis,  
De quæis sunt animis fulera petenda piis.  
Sunt Sophiæ cultus; Sunt Doct<sup>r</sup>e Palladis artes:  
Quæ, dare quod possunt, nobile nomen habent.  
Omnibus his studium, Frater svavissime, confers,  
Ac ea solerter nocte dieq; colis.  
His fileo: Auguror simul & quondam fore tempus,  
Quo Musæ pergent fronde polire caput.

Ita Præst. D. Resp. grat. voluit.

**S V E N O C L O D I N U S**

Ostrogothiæ Svecus.